VLADISLAVS CORONATVS REX.

Quam fortunatus es

VLADISLAE:

cui

Vt Polona Libertas, Sceptrum, Coronamq; deferret.

IN

VRBANO VIII.

Purpurati Patres.

Cum

FERDINANDO II. S. A.

Serenissimi Principes.

Meliorque portio Christiani Orbis

Supplex iuit.

Thronumque Lechitarum ferro magis, quàm auro tremendum,

cernuus primùm aspexit.

Ita Te omnes, Libero Populo, imperare desiderarunt

 REX SERENISSIME.



Et certè

Regem Te sibi genuit SVECIA,
Dignum pluribus Imperijs, NATVRA fecit:
Monarchis æqualem FORTVNA voluit:
Sublimauit tamen ad Regnum Poloniæ
Vnica VIRTVS.

Quam prout commendaúère,

Serenissimi Fratres Tui,
Amplissimi Senatores,
Nobilissimi Equites,
Declarauit Patria,
Libens audiuit Ecclesia.
Gratulati sunt Reges.
Prædicare promisit Posteritas.

O Aurum:

Præclarè tecum actum puta,
Dum illud Caput redimire datur
in quo
Polonæ Reipublicæ tota integritas.

Felicissimè conquieuit.

POTENTISSIMO
ac
INVICTISSIMO
VLADISLAO SIGISMVNDO
POLONIÆ REGI.
MAGNO DVCI LITHVANIÆ,
RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ,
SAMOGITIÆ, LIVONIÆQ.
Nec non
SVECIÆ, GOTHIÆ, VANDALIÆ,
HÆREDITARIO REGI.
ELECTO MAGNO MOSCOVIÆ DVCI.



Vos rebus in humanis admirabiles esse Deus, & Natura voluit, Regum Rex Maxime VLADISLAE; eis Fortuna superis obsequiosa nutibus, parem in orbe delegit locum: ex quo plurima largirentur suis, pauca admodum sibi. Et eos quippe animos, heroamq; manum; aspectabat intra priuatos, semper tamen

augustos, cardines Tuos, regalis animi parens Munificentia: modò verò etiam in hac publica Patriæ nostræ lætitiâ, maturo sub sole, mirari satis non possunt, cum vtroque Regno tuo; circumfusa imperia. Quid verò ita Rex VLADISLAE? quia die hodierno nimium factus liberalis; totam planè Regali è fronte, in Tuos Polonos, effudisti cum amore Maiestatem; quam vt potè inter sceptra, purpurasq; enutritam; vel solis Regibus ostendere debuisti, vel dare nemini. Tu tamen REX noster es: Nostra quoquè, Tui Serenissimi pectoris vera hereditas; Virtus. Illa Virtus, quæ non modò augusto Cæsarum, Regumq; : sed Diuinissimorum etiam cœli ciuium sanguine, felicissimè purpurata; sanctissimè irrubuit. Pro quo, vt maximo, ita optatissimo nobis omnibus munere, publica Felicitas Imperij Poloni, Coronam Tibi porrigit; & eam quidem magnam satis & amplam; si detriumphatas sub eâ nationes spectes; si verò Te, Tuaq; in vniuersam Patriam Nostram merita, & præsertim Martiales illos spiritus, quibus Aquilæ Nostræ vitam suam, gloriamq; debent; angustam fortassis, & Tuâ strictiorem Maiestate; qui & Regali throno sublimior, & Tuæ tantùm Virtuti viuis par, & beatus. Paruam porrò, Magnus ipse iam efficis; dum Tuis iuxtà, ac Paternis laudibus, ex æquo decorus, geminam ei importas amplitudinem, & claritatem. Neque hic opus est Hannibalis iudicio, vt inter Regem, & Coronam distingueret; qui summam quondam inter summos Imperatores diuidens gloriam, Tibi REX VLADISLAE integram fideli manu porrigeret; in Te vno omnium Principum contemplatus ornamenta. Credo enim non errasse illum, qui in D. Parentis Tui Manipulo, tot Reges vidit, quot spicas: tot regales animos ad noua,

noua, & noua Polonis comparanda imperia, quot grana: tot Heroicarum virtutum, viuos ſplendores, quot culmos, ariſtasq́. atque vt illi ſine nube oculus; ita calamus ſine fuco; blandimentorum ignarus, gnarus veritatis. Hoc tamen mirari ſatis non poſſum, quare faſtuoſa quondam in ſuis encomiis Roma, cùm cæteras artes aliis Imperiis, futurorum exſpes ingeniorum, per ſuum Pöetam aſſignaſſet:

Excudent alij ſpirantia mollius æra,
— — — viuos ducent de marmure vultus,
Orabunt cauſas melius, cælique meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſydera dicent.

quatuor illas Cæſarum, Regumq́ artes, queis terrâ mariq́ imperium ſibi, & gloriam apud gentes fabricauit; tanta parcitate ſolis Romanis reliquit; vt etiam Pöetæ ſuo, non abſq́ graui cæterarum nationum iniuriâ, occinere id audacter ſeræ poſteritati imperauerit:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) paciq́; imponere morem,
Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.

Quaſi verò vna, & ſola Roma ita ſpatioſa foret; vt immenſam virtutem ſuis ſeptem collibus concluderet, cui totus etiam non erat ſuffecturus orbis. Ingentes maris gurgites in pumilam compegiſti ſcrobem, & vaſtum ſolis iubar rimoſo clauſiſti in vtre, ô Magne Pöeta! Neſcit latere virtus ad lares priuatos; ſupra Fortunam, hominesq́ eſt; Orbem Cælumq́ amat; & ſeruas peroſa compedes, libertatem auream, vt vmbra ſolem; pretiumq́ gemmas, generoſa ſequitur; nec magis iungitur Polono, quàm Italo: Africano, quàm Europæo. Siquidem Natura, integerrimum cuiq́ ad Virtutem, & Gloriam, conceſſit ius; illudq́ nec ipſis violandum

 fatis,

fatis, nec in ipso occasu mundi, ferali premendum lapidi permisit aliquando. Sed verò etiam cuiq; cœlo suum est ingenium, suus Mars, sua Pallas, neque Monarchæ, eas artes, quibus regna, & imperia vel acquiruntur, vel aucta fortunatè conseruantur; ad alienas, condiscunt exedras; sed materno cum lacte, regales animos hauriunt simul: statimq; è fasciis tenellas explicant manus, non vt vbera matris prehendant; verùm vt sceptra, populosq; vel frangant superbos, vel subiectos amplectantur. Atque dum ea de cæteris affirmo Regnis, & Imperiis; de te quoque quid ni affirmem, ô dulcis Patria! quæ à tot annorum centuriis, in tuorum Ciuium pectoribus, non temporaneum Virtuti, & Gloriæ, scripsisti hospitium; sed æternum vtrique fixisti domicilium. & bono equidem tuo, obscurus enim, & admodum angustus, ille orbis angulus est, ad quem Ciuium tuorum fama, nomenq; inclytum; non adhuc penetrarit. Ita Virtuti pulcherrimæ placuit hic populus, REX POTENTISSIME, placuit hostili sanguine desudans pectus, placuêre animi generoso incocti honesto; placuit palmata gloria; placuit auro maior libertas! Huc igitur se, huc suas opes contulit; & quatuor illas Imperij Romani Artes, non ignauis certè Polonis communes fecit, tanto Imperij Sarmatici studio, atque profectu: vt, Si populi Regendi imperio essent; *non iam timidos, proiectosq; seruos; sed liberos quoscunque ciues, imò & Reges ipsos regere, Polonorum Princeps nullus formidaret vnquam:* Si parcendum subiectis; *sciret idem alieno sanguini ita parcere, vt suo; homineq; libero non prodigè vti, Homo ipse:* Si debellandi superbi; *nosset fastuosa pedibus premere ingenia, & ceruicosos, rebellesq; spiritus, triste sub iugum mittere, eisq; aut ferro mederi; aut clementia:* Si denique

Vilis eras, vilemque animam pro morte gerebas,
Sed Patriæ pulcher, sed pretiosus eras.
Tu tribus in bellis Patriæ, corpusque, animamque,
Ac vnam vitam, largus, in arma dabas:
Tu Moscho, Turcæque fero, Suecoque ferebas
Fati mille neces, prodigus ipse Tui.
Oblitusque Tuæ vitæ, caræque salutis;
Spondebas, Patriæ, Sauromatisque, Caput.
Ast oblita, Tuæ Virtutis, Patria non est;
Sed Te materno, fouit alumna, sinu.
Gestorum, non est virtus oblita, Tuorum;
Scripsit at æterno Martia facta stylo.
Omnia quæ vidit, stupuitque videndo, notauit
In nunquam mentis deficiente libro.
Illa & sudores, & Te, super ardua scalpsit
Marmora, quæ poterit radere nulla dies.
Omnibus, excidium, rebus dat, sæua vetustas:
Excidium rebus, non dabit illa, Tuis.
Fortius est rebus tempus, sed fortior ipso;
Virtus, in factis, ingeniosa Tuis.
Illa Tuæ galeæ cineres, pulchrumque cruorem,
Ingentesque ausus, sanguineasque vias,
Et quoscunque retrò potuit reuocare labores,
Hunc coram Lechicis gentibus explicuit.
Legit & in Patrum solijs, Equitumque coronâ;
Primaque suffragium, contulit illa, suum:
Vt regeres Populos, cum maiestate, Polonos;
Sceptraque, firmares Suetica, Sarmaticis.
Audijt hoc votum gens omnis, & audijt ipse
VRBANVS, Latiâ summus in Vrbe Pater.

Audi-

Audiuêre Duces, conſpirauêre Monarchæ,
Et LADISLAO vota dedêre ſuo.
Omnis & in varijs, habitans Lechus incola, terris,
Cum Lithauo; Sceptrum procidit ante Tuum
Viue, igitur, felix ô LADISLAE Polonis,
Viue ô Virtutis, ſchema virile, Tuæ.
Virtus quos cæpit, ſemper Tibi ſcribet honores:
Æternoque, Tuum nomen, in orbe canet.

Extremum

Omnes Tui, hoc optamus, hoc vouemus.


NATVRÆ clementiâ;
Patriæ viue, Rex diutiſſimè.

FORTVNÆ fauore;
Polonis, Regna feliciſſimè.

VIRTVTIS auſpicijs;
Triumpha de hoſtibus glorioſiſſimè.

VOTIS
Fauete Cælites, fauete Homines,
REX faue.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0025919